



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem,
Librosque undecim complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput XV. Definitio & malitia gulæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73187)

pravum, ut Philosophus dicit in 2. Reth. quia dolet de eo, de quo est gaudendum, scilicet de bono proximi. Estque peccatum ex genere suo mortale, uti S. Doctor probat a. 3. quia invidia secundum rationem sui objecti contrariatur charitati, per quam est vita spiritualis animae. Sed in quolibet genere peccati mortalis invenitur aliqui imperfecti motus, quandoque etiam in viris perfectis, quae sunt peccata venialia.

150 Quam grave verò, peccatum sit invidia, graphicè depingit S. Chryostomus homil. 40. vel 41. in Matth. incipiendo ab hisce verbis: Tale certè malum est invidia, quae ut grassatur in animas, ut omnem malignitatem & nequitiam praeteregiatur, &c. Quod ibidem aurea eloquentia expositum videri potest.

151 Nihilominus invidia non est maximum peccatorum (ait S. Thomas a. 4. ad 2.) est tamen quaedam invidia quae inter gravissima peccata computatur, scilicet invidia fraternae gratiae, secundum quod aliquis dolet de ipso augmento gratiae Dei, non solum de bono proximi. Unde ponitur peccatum in Spiritum sanctum: quia per hanc invidentiam homo quodammodo invidet Spiritui sancto, qui in suis operibus glorificatur.

CAPUT XIV.

Filia invidia.

152 Filiae invidiae sunt, odium proximi, detractio, susurratio, gaudium in adversis, tristitia in prosperis, &c. De odio & detractioe alibi. Susurro & detractor in materia conveniunt, & etiam in forma, sive in modo loquendi (ait S. Thomas 2. 2. q. 74. a. 1.) quia uterque malum de proximo dicit. Differunt autem in fine: quia detractor intendit denigrare famam proximi, unde illa mala de proximo praecipue profert, ex quibus proximus infamari possit, vel saltem diminui ejus fama. Susurro autem intendit amicitiam separare, ut patet per Glossam interlinearem, quae dicit: „susurrones inter amicos discordiam feminantes, ... Et ideo susurro talia mala profert de proximo, quae possunt contra ipsum commovere animum audientis, secundum illud Eccli. 28. „Vir peccator conturbabit amicos, & in medio pacem habentium immitit inimicitiam. „Susurratio itaque est occulta mali de proximo narratio, ad finem feminandi discordiam inter amicos. Unde peccatum est ex genere suo mortale, tamò gravius (prosequitur S. Doctor a. 2.) quanto per ipsum majus nocumentum proximo inferitur. Nocumentum autem tamò majus est, quanto majus est bonum quod tollitur. Inter cetera verò bona exteriora praeminet amicus: quia sine amicis nullus vivere potest, „ut patet per Philosophum 8. Eth. 1. Unde dicitur Eccli. 6. amico fideli nulla est comparatio. „Fama autem ipsa, quae per detractioem tollitur, ad hoc maxime necessaria est, ut homo idoneus ad amicitiam habeatur. Et ideo susurratio est majus peccatum quam detractio, & etiam quam con-

tumelia, quia „amicus est melior quam honor, & amari, quam honorari, „ut in 8. Eth. 6. 8. Philosophus dicit.

Videri potest Navarrus in Manuali c. 18. 153 n. 13. ubi sic: „Peccat qui bonam aliquorum amicitiam intendit notabiliter laedere, aut dat causam laedendi per susurrationem, animadvertens, vel animadvertere debens, se id facere... Nec debet absolvi, donec (quoad per eum fieri poterit) illos inter se reconciliet. Aut (si id praestare non potest) damnis inde secutus iudicio boni viri satisfaciatur, juxta Sumpnam Rosell. verbo invidia §. 6. Nostro tamen iudicio absolvendus est, modò firmiter id facere proponat. „Si tamen, id antè pollicitus, verbo non steterit, absolvendus non est, nisi re praestiterit.

CAPUT XV.

Definitio & malitia gula.

154 Gula est inordinatus appetitus edendi, & bibendi. Sumitur ex S. Thoma 2. 2. q. 148. a. 1. ubi dicit quòd gula non nominat quemlibet appetitum edendi & bibendi, sed inordinatum. Est autem appetitus iste semper inordinatus, quando finem alium non habet quam delectationem cibi vel potus; cibus proinde & potus non appetitur indigentia sustentationis, sed concupiscentia voluptatis. Non quòd voluptas ipsa cibi & potus, vel usus illius, peccatum sit (non enim solum cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis (inquit Augustinus l. 4. contra Julian. c. 14.) sed quòd appetitus in ea, velut in fine positivè vel negativè ultimo conquiscentes, sive eam ad finem ulteriorem non referens, peccaminosus sit, ut jam Ecclesia declaravit, dum per Innocentium XI. propositionem hanc damnavit: Comedere & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obstat valetudini. Quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui: Quam etiam propositionem temerariam, scandalosam, perniciosam, erroneam, & ad Epicuram scholam ablegandam declaravit Generalis Cleri Gallicani Conventus anni 1700.

Porro gulam esse peccatum ex genere suo mortale constat ex dictis cap. 1. Est enim species quaedam idololatriae, quatenus homines gulae dediti, ventri suo velut fini serviunt, sicut Apostolus dicit Rom. 16. Huiusmodi enim Christo Domino nostro non servant, sed suo ventri. Et ad Philipp. 3. Quorum Deus ventris est. Et aliàs comessatio & ebrietas non essent peccata ex suo genere, sive propria specie mortalia. Cujus oppositum ex dicendis constabit.

CAPUT XVI.

Gulae species, & modi quinque, quibus nos gula vitium tenet.

156 Dividitur gula in comessationem, sive crapulam, & ebrietatem. Ita S. Thomas &c.